

- 34) Tib. 1.4.61-72.
 35) Tib. 2.4.15-20.
 36) Tib. 1.5.23-4 *aut mihi seruabit plenis in lintribus uuas / pressaque ueloci candida musta pede.*
 37) Tib. 2.1.15-6 *cernite fulgentes ut eat sacer agnus ad aras / uinctaque post olea candida turba comas.*
 38) Tib. 2.1.87-90 *ludite: iam Nox iungit equos, currumque sequuntur / matris lasciuo sidera fulua choro, / postque uenit tacitus, furuis circumdatus alis, / Somnus et incerto Somnia nigra pede.*

BIBLIOGRAPHY

- Ball, R.J. 1994. Albi, ne doleas: *Horace and Tibullus*, CW 87, 409-14
 Brown, E.L. 1963. *Numeri Vergiliani: Studies in Eclogues and Georgics*, Collection Latomus 63 (Brussels), 96-114
 Courtney, E. 1990. *Greek and Latin Acrostics*, *Philologus* 134, 3-13
 Gale, M.R. 1994. *Myth and Poetry in Lucretius* (Cambridge)
 Keith, A.M. 1999. *Slender Verse: Roman Elegy and Ancient Rhetorical Theory*, *Mnemosyne* 52, 41-62
 Kollman, E.D. 1971. *Lucretius' Criticism of the Early Greek Philosophers*, *StudClas* 13, 79-93
 Maltby, R. 1995. *Tibullus 1.2. and Meleager, AP 12.49*, in: Belloni, L., Milanese, G., Porro, A. (eds.) *Studia classica Iohanni Tarditi oblata* (Milan), 523-6
 ——. 1999. *Tibullus and the Language of Latin Elegy*, in: Adams, J.N., Mayer, R. (eds.) *Aspects of the Language of Latin Poetry. Proceedings of the British Academy* 93 (Oxford), 377-98
 ——. 2002. *Tibullus I and II* (Cambridge)
 Mayer, R.G. 1994. *Horace, Epistles, Book 1* (Cambridge)
 Nisbet, R.G.M., Hubbard, M. 1970. *A Commentary on Horace, Odes, Book I* (Oxford)
 O'Hara, J.J. 1996. *True Names. Virgil and the Alexandrian Tradition of Etymological Wordplay* (Ann Arbor)
 Sedley, D.N. 1998. *Lucretius and the Transformation of Greek Wisdom* (Cambridge)
 Sider, D. 1997. *The Epigrams of Philodemus* (Oxford)
 Syme, R. 1986. *The Augustan Aristocracy* (Oxford)

A. GELLIUS *NOCTES ATTICAE* 16.2.6:
 TAMQUAM SI TE DICAS ADULTERUM NEGENT

I. In A. Gellii *Noctium Atticarum* libro sexto decimo, capitulo secundo, ubi tractatur de rebus quibusdam ad disciplinam dialecticam pertinentibus, manifesta offenditur lacuna, quam indicauit Hertzl (1885). Ea textus pars mutilata est, in qua Gellius de quaestiunculis captiosis loquitur:

Sed enim esse quaedam uidentur, in quibus, si breuiter et ad id, quod rogatus fueris, respondeas, capiare. Nam si quis his uerbis interroget: 'Postulo, uti respondeas, desierisne facere adulterium annon', utrumcumque dialectica lege responderis, siue aias seu neges, haerebis in captione, tamquam si te dicas adulterum *** negent; nam qui facere non desiit, non id necessario etiam

fecit. Falsa igitur est species istius captionis et nequaquam procedere ad id potest, ut colligi concludique possit eum facere adulterium, qui se negauerit facere desisse.

Procul dubio lacuna recte indicata est, nam id, quod eam sequitur, antecedentibus contradicere manifestum est. Ante enim captio efficax esse, post autem euadi posse dicitur neque ulla inter utrumque uidetur rationabilis sensus iunctura.

II. In codicibus deterioribus, quos Hosius (1903) σ littera significauit, coniectura exstat, qua aliquis textus salutem molitus est. Qui textus inibi talem speciem praebet:

(...) Nam si quis his uerbis interroget: 'Postulo, uti respondeas, desierisne facere adulterium annon', utrumcumque dialectica lege responderis, siue aias seu neges, haerebis in captione, tam si te dicas adulterum, quam si neges; nam qui facere non desiit, non id necessario etiam fecit. (...)

Cum primo aditu textus iam sanus uideatur, omnibus tamen rebus curiosius respectis sensu eum carere uidebimus. Primum enim id, quod legendum proponitur, id est *tam si te dicas adulterum quam si neges*, quasi iterat, sed aliis uerbis, id quod iam prius dictum erat per uerba *siue aias seu neges*. Quam ob rem non longe secus dictum est ac si diceretur *utrumcumque responderis, siue aias seu neges, haerebis in captione, tam si aias quam si neges*.

Deinde nulla prorsus ratione sensus potest interrogatus homo "se dicere adulterum", cum ait, aut "se negare adulterum", cum negat. Cum enim ait, tum sese adulterum esse *desisse*, id est adulterum olim fuisse dicit; cum autem negat, tum sese adulterum esse *non desisse*, id est, primo quidem obtutu, adulterum dicit esse. Immo nulla refert, utrum aiat, an neget, cum utcumque responderit, sese adulterum aut olim fuisse aut nunc esse dicit; quod est "tamquam si sese dicat adulterum". Haec ergo, quae in codicibus deterioribus leguntur *tam si te dicas adulterum quam si neges* sensu carent, uerba enim dicendi et negandi adhibentur a correctore tamquam si interrogatum esset "esne adulter annon?" aut "facisne adulterium annon?", non autem, quod interrogatum est: "desistine facere adulterium annon?".

Denique maxime respiciendum est, quod postea dicitur. Cum uox *nam*, quae uerba *tam si te dicas adulterum quam si neges* sequitur, ualeat tamquam si Gellius nobis explicare uoluisset, cur haesurus esset, qui responderit, ex inopinato tamen explicat, cur quaestiuncula captiosa non sit (seu cur qui responderit haesurus non sit), quippe quod *qui facere non desiit, non id necessario etiam fecit*. Non hoc esse, quod antecedentibus lectis exspectemus, luce clarius est.

Ceterum captio falsa est non idcirco, quod *utrumcumque responderis, haerebis*, hoc enim est captionis uerae, sed ea de causa, quae porro proponitur, id est quoniam *nequaquam procedere ad id potest, ut colligi concludique possit eum facere adulterium, qui se negauerit facere desisse*. Captio igitur nulla est in id

genus quaestione, quia sat est homini negare, ut integra euadat dignitate. Sed ita ut concludi possit, desideratur copula *sed* aut alia quaedam similis, qua Gellius se ex expositione ad refutationem transisse significet. Quae tamen copula non in istis codicibus inuenitur.

His igitur omnibus collectis collatisque concludendum est textum codicum deteriorum plausibilem non esse. Hac ipsa ratione id quoque, quod Yvette Julien (2002) proposuit, ut lacuna uoce *cum* repleatur, quo sit *tamquam si te dicas adulterum cum negent*, improbandum puto.

III. Sane difficile est replere lacunam, quae plus quam duo uel tria uerba amplectitur. Vt autem codices testantur, magnae nonnumquam partes *Noctium Atticarum* omittuntur neque umquam inibi restitutae sint, nisi alius quidam codex exstiterit, quas feliciter conseruasset. Cuius rei exemplum in libro 20.6.10 datur, ubi archetypus familiae δ (in qua codex Z est) inter uoces *quidem* et *quaedam* octoginta quattuor (sic!) omisit uerba. Quod facile et isto nostro loco accidere potuit. At cum plura uerba inserenda sunt, quae codex nullus habeat, nostro Marte lacuna repletur non, ut textus restituatur (quibus enim auctor olim uerbis usus sit, hariolis profecto est opus), sed ut saltem sanetur et facilius intellegi possit.

Itaque textum supplere conatus sum hisce condicionibus praesumptis: (i) numero uerborum minimo utendum est; (ii) lectiones codicum uariae respiciendae sunt (*adulterium negent ZTY*); (iii) genus orationis orationi auctoris nostri quam proximum esse debet; (iv) supplementum ita duas partes textus coniungat, ut sensus sit sanus.

IV. Ratio supplementi in lacunae origine atque differentia textus antecedentis et sequentis nititur. Patet autem hoc lapsu oculi factum, scriptor enim, cum partem textus in nouo exemplari usque ad uerba *tamquam si te dicas* scripsisset, cumque ad uocem *adulterum* peruenisset atque partem nouam incohaturus esset, haud infrequenti errore aliquot uersibus omissis tunc demum a uerbo *adulterium* textum nouum incohauit. Quod codices ZTY, qui *tamquam si te dicas adulterium negent* habent, uidelicet retinuerunt, pars autem codicum suo Marte correxere; *i* enim oblitterato uoceque *adulterium* in *adulterum* commutata aliquo saltem sensu id quod ante lacunam est concluditur. Sed utrumque uerbum ad lacunam replendam usui nobis est, primum enim scriptura, aliud fulcitur sensu. Ambo item similia sunt et esse debuerunt, quo facilius oculus scriptoris laberetur. Sed ad textum transeamus.

In antecessu, ut supra dictum est, scribit Gellius quaestiones quasdam uideri captiosas, cum dialectica lege responderis. Item postea hasce captiosas non esse docet explicatque, quare ita sibi uideatur. Oratio autem eius composita est et hic et illic tamquam si loqueretur de rebus, quas ipse sentiret. Ex argumentis principalibus, quae uerbum *negent* sequuntur, in iis, quae textu excesserunt, nonnisi praefatiunculam quandam fuisse col-

ligitur, quam Gellius argumento contrario exponendo parauit. Satis autem multa, sed non plurima excessisse manifestum fit, cum et ante et post lacunam iugiter de eodem captionis exemplo, adulterii scilicet, disseri aduertimus.

V. Propositum meum est, ut lacuna quattuordecim uerbis suppleatur ad hunc modum:

Sed enim esse quaedam uidentur, in quibus, si breuiter et ad id, quod rogatus fueris, respondeas, capiare. Nam si quis his uerbis interroget: 'Postulo, uti respondeas, desierisne facere adulterium annon', utrumcumque dialectica lege responderis, siue aias seu neges, haerebis in captione, tamquam si te dicas <adulterum. Sic quidem multi putant, sed mea sententia minime capiuntur, qui se desisse facere> adulterium negent, nam qui facere non desiit, non id necessario etiam fecit. Falsa igitur est species istius captionis et nequaquam procedere ad id potest, ut colligi concludique possit eum facere adulterium, qui se negauerit facere desisse.

Supplemento accepto Gellium quid 'uolgens' antea, post autem quid ipse putet demonstrare uidemus. Verba iuncturaeque uerborum, quibus ut lacuna repleretur usus sum, de aliis plerumque *Noctium Atticarum* locis sumpta sunt: *sic quidem . . . sed . . .*: 13.26.2; *minime* + ind. pass.: 1.3.16. Quod autem ad *meā sententiā* attinet, Gellius hac uerborum iunctura usus est bis (12.4.3; 20.1.24). Cum utroque loco *mea quidem sententia* legeretur, parum tamen conuenire mihi uisum, ut uox *quidem* modo iam adhibita in tantulo uerborum spatium repetatur.

WARSAWA
draco@obta.uw.edu.pl

KONRAD M. KOKOSZKIEWICZ

Editiones *Noctium Atticarum*, quibus usus sum, sunt haec:

Hertz, M. 1885. *Noctes Atticae* (Berolini)

Hosius, C. 1903. *Noctes Atticae* (Lipsiae)—cuius sigla adhibui.

Julien, Y. 2002. *Les Nuits Attiques* (Paris)

Marshall, P.K. 1968. *Noctes Atticae* (Oxonii)